

## P R A E F A T I O

*Mittenzwey*, in Gymnasio Coburgensi Professor, qui Cyropaediae editionem parabat, sed morte praematura ereptus est litteris ante, quam opus institutum absoluisset.

Sed ad illud primum consilium nostrum satis, ut erat, ita videbatur, textum graecum, quam emendatissime possemus, exprimendum curare ad exempla vulgo probata, ut Leonclavii et Welsii, adspersis quibusdam nostris, quae in mentem venissent, coniecturis, tum vero etiam notulis, quae vel iuuenibus vel etiam magistris minus instructis a libris possent prodesse. Nec multo plus efficere voluimus in ceteris editionibus. Itaque usi quidem sumus interdum exemplis antiquis, quae quidem postea nobis in manus venissent, addidimusque etiam quaedam nostra, vel ad corrigendum vel ad explicandum: plenam et iustam Opusculi recensionem non fuit animus suscipere. Sed cum ad eam instituendam saepe nos hortati essent amici quidam, etiam oblatis adiumentis: aggressi tandem hoc tempore rem sumus, cum noua editio esset instituenda, in qua et huius libelli cura a nobis deponeretur. Atque interea contigerat plena exemplorum veterum copia, per quam ad eam rem agendam paratores veniremus. De ea primum dicemus, praesertim cum de Xenophontis editionibus parum accurate ab aliis, nominatim Fabricio, dictum viderimus.

Primum Xenophontis opera edita sunt *Florentiae* 1516, forma maiori, cum breui *Bonini* praefatiuncula. Eius vero editionis exempla non habent omnes Xenophontis libros, et sunt valde vitiosa; quod ei et Aldinae editionis praefatio exprobrat. In his quidem libellis *απομνημονευμάτων* saepe verba, saepe versiculi toti defunt. Sed eius rei culpam, si non totam, at per magna ex parte, puto fuisse in exemplo scripto, e quo textus esset sumendus. Nam non pauca ex iis vitiis etiam in aliis scriptis reperiri vidi.

Vnde in annis post (a. 1527)\* aliam operum Xenophontis editionem absoluit officina Venetiis Aldina, *Afslano* curante: qui in singulis prope paginis vitia plura cor-  
rexit,

\* Autor scribere voluit, Nonem annis post a. 1525. Z.